

Tragædia III.

PIUS SAMARITANUS

In pia Meditatione per tempus
Quadragesimale exhibitus,

Coram Cœlissimo ac Reverendissimo
D. D.

L E O P O L D O
E P I S C O P O

Et S. R. I. Principe Brixinensi, a Con-
gregatione Brixinensi, sub titulo B.
V. M. ab Angelo salutatæ, per An-
num Jubilæum MDCL.

R A-

ARGUMENTUM EX EVANGELIO.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagiis impositis abierunt, semivivo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præterivit: similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus viam, & videntes eum misericordia motus est, & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum, & curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quocunque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Luc^{as} cap. io. a v. 30.

124. Argumentum in Evangelio:

PRÆLUDIUM.

Proteus per Angelum a somno excitatur ad tractandum animæ negotium, & contemplandas veritates æternas.

PUNCTUM I.

Scena I. Erichunitinus, missis Jeroſoflymis nuntio, Jerichunta fe conferre statuit, 2. & ab Azaria ne quicquam revocatus, 3. nec non in suo proposito firmior, repentina tamen Cœli minantis tempestate territus, 4. a quibusdam sub larva amicitiae (rc autem vera latrones erant) invitatur ad divertendum in fyllestri casa: 5. ab illorum illecebribus totus quantus inebriatus, 6. vestibus spoliatur, vulneratur, & semivivus relinquitur.

EXPOSITIO PUNCTI I.

Ex SS. Patribus Intellectui & voluntati meditantium apposite instituta,

PUNCTUM II.

Scena I. Erichunitinus miserrimus, 2. calamitatem suam] incassum conqueritur Sacerdoti & Levitæ, 3. quare

Argumentum in Evangelio: 125

re desperabundus vix non animam agit; 4. a Samaritano tamen prætereunte benigne habitus, & fomentis adhibitis reflectus ex lacu, in quo jacebat, in locum meliorem transportatur.

EXPOSITIO PUNCTI II.

PUNCTUM III.

Scena I. Samaritanus, 2. cum suo Pandochio, 3. infirmum Jerichunitum vario vulnerum ulcerumque genere laborantem pristinæ restituit sanitati, 4. qui prioribus etiam vestibus ornatus, 5. nihil non agit, quo eidem se gratum exhibeat, & in servum perpetuum fideliter mancipet.

EXPOSITIO PUNCTI III.

Et propositum, ut ajunt, practicum cum fructu a Proteo Angeli ministerio institutum.

Personæ, & Personarum clavis.

Samaritanus	Christus Salvator.
Infirmus Jericunitus.	Homo Peccator.
Azarias.	Angelus Custos.
Sacerdos.	Lex antiqui Testamenti.
	Levi-

126 Argumentum ex Evangelio.

Levites.	Propheta Legis veteris.
Pandochius.	S. Pontifex.
Latro primus.	Diabolus.
Latro secundus.	Mundus.
Latro tertius.	Caro.

Ita Ierusalem, seu Visio pacis, est hereditas Domini, nempe Paradisus.

Jeri b^o, latine Luna, seu rerum canticarum varietas.

Stabulum, seu ut Gracius legit μαρδοχεῖον diverforium, vel etiam ut Syrus vertit, est Ecclesia.

Iumentum est Humanitas Christi.

Vinum, quod infusum est, Sanguis Christi.

Oleum, Misericordia Christi.

Vulnera Infirmi, & ulcera sunt Peccata.

Ita exponunt SS. Augustinus serm. 17.
de Verbis Domini. Hieronymus &
Ambrosius in cap. 30. Luca, item
Origenes homil. 34.

PRO-

127

PROLOCUS.

Præparatio animi ad futuram Meditationem.

Angelus, & Proteus in umbra mortis dormiente.

Angelus Proteum dormientem excitat. Urge, qui dormientem excitat. S mis, & exurge a mortuis (a). Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? (b) Usquequo miser dormies, & quando confuges a somno tuo? (c) Surge velociter.

Proteus. Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi (d). Ostendam tibi, audire me, quod vidi. narrabo tibi (e). Somnium vidi, quod perterritum me, cogitationes in strato meo & visiones capitis mei conturbaverunt me (f). Vidi somnium, & mente confusus ignoro, quid viderim (g). Ecce arbor in medio terræ, altitudo ejus nimia, proceritas ejus contingens cœlum, aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Et ecce Sanctus de cœlo descendit,

F 4 dit,

[a] Ephes. 4. [b] Psalmi 40. [c] Propt. 6.
[d] Psalm. 3. [e] Job. 15. [f] Dan. 4.
[g] Dan. 2.

dit, & clamavit fortiter: succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia, & dispergite fructus. Hoc somnium vidi, tu ergo interpretationem narra festinus (*a*).

Angelus. Hæc est interpretatio somni (*b*). Arbor, quam vidisti sublimem, tu es, qui magnificatus es, & invalueris (*c*), qui dicebas in corde tuo: similiis ero Altissimo (*d*). Hæc est interpretatio sententiae Altissimi. Quam ob reuconfitum meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis (*e*). Quanto major factus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam (*f*).

Proteus. Vidi aliud signum in Cœlo magnum & mirabile (*g*). Angelos septem habentes phialas septem plenas iracundia Dei viventis in fæcula fæculorum, & audivi vocem magnam dicentem septem Angelos: ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram (*h*). Quid vult hoc somnium (*i*), Domine mihi?

Ange-

(*a*) Dan. 4. (*b*) Gen. 12. (*c*) Dan. 4.
(*d*) Isa. 14. (*e*) Dan. 4. (*f*) Eccli. 3.
(*g*) Apoc. 15. (*h*) Apoc. 18. (*i*) Gen. 37;

Angelus. Vidisti calicem de manu Domini (*a*). Ex hoc bibent omnes peccatores terræ (*b*), de vino iræ Dei, de furore omnipotentis (*c*). Amara erit potio bibentibus illam (*d*).

Proteus. Gustans gustavi paululum, & ecce motior (*e*).

Angelus. Forti animo esto (*f*). Deus vocavit nos, ut eamus viam trium diem in solitudinem (*g*). Consolabitur Dominus Sion, ponet desertum delicias, & solitudinem quasi hortum Domini (*h*).

Proteus. Nostri viam, in qua ambulet?

Angelus. Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi (*i*).

Proteus. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas! (*k*) Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea (*l*).

Angelus. Fili mi, recurre ad hominem interiorem (*m*). Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam (*n*). Vade populus meus, intra cubicula tua, clau-

F 5 dc

[*a*] Ierem. 25. [*b*] Psalm. 74. [*c*] Iob. 20.
[*d*] Isa. 24. [*e*] I. Reg. 14. [*f*] Tob. 5
[*g*] Exod. 5. (*h*) Ifair 5r. [*i*] Tob. 5.
[*k*] Psalm. 118. (*l*) Psalm. 16. [*m*] Rom. 3.
(*n*) Gen. 7.

de ostia super te, abscondere modicum ad momentum (a). Deus loqueretur pacem in plebem suam, & in eos, qui convertuntur ad cor (b). Convenite, & congregamini, antequam veniat super nos dies indignationis Domini (c).

PUN-

(a) Isa. 26. (b) Psalm. 74. (c) Soph. 2.

PUNCTUM I.

SCENA I.

Jerichoninus solus.

Quis ita deliciis affluet, ut ego? (a)
Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem. (b). Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia (c). Jerusalem, Jerusalem, recessimus, non veniemus ultra ad te (d). Deliciae meæ esse cum filiis hominum (e), per plana, & campestria urbis Jericho (f). Euge, euge, altitudines sempiternæ inhereditatem datæ sunt nobis (g); filialabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte (h). Vadam, & fruar bonis, vadam (i) per omnem collum excelsum, & omne lignum nemorum (k).

SCE-

[a] Ecc. 2. [b] Ecc. 1. [c] Ecc. 5.
[d] Jerem. 2. [e] Prov. 8. [f] Is. 2.
[g] Ezech. 36. [h] Is. 3. [i] Ecc. 2.
[k] Ezech. 10.

S C E N A II.

Jerichuntinus, & Azarias.

Azarias. **Q**uid est excelsum, ad quod vos ingredimini? (a)

Jerichuntinus. Deliciis affluam, & vadam (b) in omnem terram Galaad usque Dan, in australē partem, & latitudinei campi Jericho civitatis palmarum (c), in terram fluentem lacte & melle, quæ est egregia inter omnes terras (d).

Azarias. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas (e).

Jerichunt. Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? (f)

Azarias. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Jerichunt. Magnificabo opera mea; ædificabo mihi domos, & plantabo vineas, conservabo mihi argentum & aurum (g): & hoc de manu Dei est, hoc donum Dei est.

Azarias. Vidi cuncta, quæ sunt sub

[a] Ezech. 20. [b] Eccle. 2. [c] Dent. 34.
[d] Ezech. 20. [e] Ecc. 1. [f] Eccle. 2.
[g] Ecc. 2.

sub Sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus (a).

Jerichunt. Anima mea liquefacta est (b) præ amoris magnitudine.

Azarias. Ne attendas fallaciæ mulieris, novissima illius quasi absinthium (c): quam ob rem considera, & recogita (d), amariorem morte esse mulierem, quæ laqueus venatorum est, sagena cor ejus, vincula sunt manus illius (e) pedes ejus descendant in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant (f).

Jerichunt. Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (g).

Azarias. Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius (h), Apparuerunt peccata in omnibus cogitationibus vestris (i). Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus (k). Homo vanitati similis factus est (l): ecce parturiit injustitiam, & peperit iniquitatem (m): dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo (n).

Jeri-

[a] Eccle. 1. [b] Cant. 5. (c) Prov. 5.
[d] 1. Reg. 25. (e) Ezech. 7. (f) Prov. 5.
[g] Gen. 8. (h) Gen. 4. (i) Ezech. 21.
[k] Psalm. 31. (l) Psalm. 149. (m) Psal. 2.
[n] Deus. 32.

Jerichunt. Omnia tempus habent: est tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi (a).

Azarias. Nemo autem dedit tempus, & spatiū peccandi (b). Lætamini cum Jerusalēm, & exultate in ea, gaudete gaudio universi, ut repleamini ab ubere consolationis ejus, & deliciis affluantib, quia hæc dicit Dominus: quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vobis, & in Jerusalēm consolamini (c): in funiculis Adam vos traham, in vinculis charitati (d). Tu ergo filii hominis consurge, & egredere de terra hac, revertere in terram patrum tuorum (e), terram fluentem lacte & melle (f), ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalēm cælestem (g).

Jerichunt. Cœlum Cœli Domino, terrant autem dedit filiis hominum (h).

Azar. Convertimini filii hominum revertentes (i), revertimini, & vivite (k). Auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agete perverse (l), dicit Dominus omnipotens.

Jerichunt. Quid prodest Deo, si iustus.

(a) *Eccle.* 3. (b) *Eeci* 15. (c) *Isa.* 66. (d) *Osi.* 11. (e) *Deut.* 31. (f) *Exo.* 23. (g) *Heb.* 12. (h) *Psi.* 113. (i) *Jerem.* 3. (k) *Ez.* 18. (l) *Isa.* n.

stus fuero, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? (a)

Azar. Non sic impii, non sic (b). Audite me duro corde, qui longe estis a justitia, mementote istud, & confundamini, redite prævaricatori ad cor (c). Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis. (d). Pro Christo fungimur legatione, tanquam Dco exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. (e).

Jerichunt. Dixi, nunc coepi: noli me confundere (f).

Azar. Maledictus homo, cuius a Domino recessit cor (g). Væ his, qui dereliquerunt vias rectas, & divertunt in vias pravas (h), Væ vobis viri impii, qui dereliqueritis legem Domini altissimi (i). Væ filii desertores, ut adderetis peccatum super peccatum (k). Propterea dilatabit Infernus animam suam, & aperiet os suum absque ullo termino. (l). Audi verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus (m): ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima. (n)

Quis.

(a) *Iob.* 22. (b) *Psal.* 1. (c) *Isa.* 48. (d) *Psi.* 1. 6. (e) 2. *Cor.* 5. (f) *Psi.* 118. (g) *Ier.* 17. (h) *Eeci* 2. (i) *Eeci* 41. (k) *Isa.* 30. (l) *Isa.* 5. [m] *Ezech.* 20. [n] *Deut.* 32.

Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? (a) Juravit Dominus exercituum per animam suam (b): sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (c). Nunc igitur ecce (ironiae) post idola vestra ambulate, & servite eis: recordabimini viatum vestrum, & displicebitis vobis in conspectu vestro (d). Curavimus Babylonem, & non est sanata (e). Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu (f): qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam (g). Vocavi, & renuisti: ego quoque in interitu vestro ridebo (h).

SCE-

- (a) Isa. 33. (b) Is. 51. (c) Psal. 67.
(d) Ez. 20. (e) Jerem. 51. (f) Ps. 74.
(g) 4. Re. 17. (h) Prov. 1.

S C E N A III.

Remanet Jerichuntinus.

Quid vult seminiverbius hic dicere? novorum dæmoniorum videtur annunciatot esse (a). At malum & amarum est reliquise Dominum Deum (b). Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis Paradysi Dei fuisti (c): quo vadis: revertere in civitatem, revertere (d). Vindicta quasi leo insidiabitur tibi (e): eruere quasi damala de manu, & quasi avis de manu aucupis (f). Cor meum gladio pungitur conscientia (g). Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me (h) in scrupulum cordis mei? Noli esse justus multum, neque plus sapiens quam necesse est, ne obstupescas (i). At quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? (k) Testimonium mihi perhibente conscientia mea (l) dereliqui mandata Domini (m), cuius jugum suave est, & onus leve (n): va-

- (a) Act. 17. (b) Ier. 2. (c) Eze. 28.
(d) 2. Re. 15. (e) Eccli 27. (f) Prov. 6.
(g) Prov. 12. [h] Psal. 41. [i] Eccl. 7.
[k] Isa. 33. [l] Rom. 9. [m] 3. Re. 18.
[n] Matt. 11.

vadam, & revertar. Usquequo affligitis animam meam (*a*) cogitationes pessimæ? Justus perit in justitia sua, & impius multo vivit tempore (*b*). Faciam mihi delicias filiorum hominum, supergrediar opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: omnia, quæ desiderabunt oculi mei, non negabo eis, nec prohibeo cor meum, quin omni voluptate stueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram (*c*). Nunc igitur proficiscar in terram bonam & spatiösam, in terram quæ fluit lacte & melle (*d*). *Cantat buba in syva.* Suscepit auris mea (*e*), bubonem & ibyn, quod accipiunt pro omnino (*f*), in signum & in portentum Israhel a Domino exercituum (*g*). In Cœlo se gravidæ extendunt nubes. Cum viderit nubem cunctem ab oceano, nimbus venit (*h*): hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum (*i*). Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorum suum (*k*). Ecce ventus turbidus venit ab Aquiloni, & nubes magna, & ignis involvens, & de igne fulgor egrediens (*l*). *Fulminat & tonat.* Heu mihi,

(*a*) *Job* 12. (*b*) *Eccle.* 7. (*c*) *Eccle.* 2.
(*d*) *Exod.* 3. (*e*) *Job* 4. (*f*) *3. Reg.* 26.
(*g*) *Isa.* 8. (*h*) *Luc.* 12. (*i*) *Mattb.* 16.
(*k*) *Iob.* 3. (*l*) *Ezech.* 1.

mihi, quam terribilis est locus iste! (*a*) Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ (*b*), quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranscat furor tuus? (*c*) *Fulminat, & tonat.* Væ misero mihi! Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? (*d*) Montes & petræ cadite super me (*e*): montes & colles operite me (*f*).

S C E N A. IV.

Jerichuntinus, & Latrones.

Latro I. **C**ur foris stas? (*g*) Ingredere in petram, & in foraminibus petræ abscondere (*h*). Terra mota est, cælique ac nubes distillaverunt aquis (*i*): stellæ cœli, & splendor earum non expandunt lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo (*k*).

Latro II. Intra sub tectum meum (*l*): habitacula justorum benedicuntur (*m*), in spelunca petræ: tenebrosa aqua in nubibus aeris (*n*). *Fulminat, & tonat.*

(*a*) *Gen.* 28. (*b*) *Pjal.* 17. (*c*) *Iob* 14.
(*d*) *Psal.* 138. (*e*) *Apot.* 6. (*f*) *Of.* 10.
(*g*) *Gen.* 24. (*h*) *Isa.* 2. (*i*) *Iudic.* 5.
[*k*] *Isa.* 13. (*l*) *Mat.* 8. (*m*) *Exod.* 3.
(*n*) *Psal.* 17.

nat. Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis (*a*).

Jerichuntinus. Heu mihi, facta est hæreditas mea, quasi leo in sylva (*b*).

Latro II. Intra ad me, Domine mihi, intra, ne timeas (*c*). Facta sunt tonitrua, & fulgura (*d*), nube operiente omnia.

Latro I. Melius est duos esse simul, quam unum; habent enim emolumen-
tum societatis stræ. Si unus cecidet, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum
ceciderit, non habet sublevantem se (*e*).
Jerichuntinus cum duobus latronibus in-
trat speluncam.

S C E N A V.

Remanet Latro primus.

VADE, vade, ingredere, & claude ostium, cum intrinsecus fueris tu, & tui (*f*). Dabunt tibi poculum ex vino (*g*), poculum aureum, plenum abominatione & immunditia (*h*): ex hoc bibent omnes peccatores terræ, omnes

(*a*) *Ibid.* (*b*) *Ier.* 12. (*c*) *Indic.* 4.
(*d*) *Apoc.* 8. (*e*) *Eccle.* 4. (*f*) *4. Reg.* 4.
[*g*] *Cant.* 8. [*h*] *Apoc.* 17.

mnes qui operantur iniquitatem (*a*): Væ animæ eorum! bibentes inebriantur quasi a vino (*b*), & cruciabantur die ac nocte in sæcula sæculorum (*c*). Ingredere, ingredere in speluncam latronum (*d*). Erunt Sirenes in delubris voluptatis, requiescent ibi bestiæ, & replebitur domus draconibus, habitabunt ibi struthiones & ululæ, pilosi saltabunt ibi (*e*). Voluptatum amatores (*f*) servient desideriis, & voluptatibus variis (*g*). Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem: risus dolore miscebatur, & extrema gaudii luctus occupat (*h*). Risus vester in luctum converteatur, & gaudium in inquietorem (*i*). Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, in amaritudinibus ingemisce (*k*). Veniet super te malum, & nescies ortum ejus, irruet super te calamitas, quam non poteris expiare, veniet super te repente miseria, quam nescies (*l*): erit sicut pulvis multitudo ventilantium te (*m*). Ecce ego tradam te in manus eorum, agent tecum in odio, tollent labores tuos, dimicent

(*a*) *Psal.* 5. (*b*) *Zach.* 9. (*c*) *Eccli* 2.
(*d*) *Mat.* 21. (*e*) *Isa.* 13. (*f*) *2. Tim.* 3.
[*g*] *Tit.* 3. (*h*) *Prov.* 14. [*i*] *Iac.* 4.
[*k*] *Eze.* 24. [*l*] *Isa.* 47. [*m*] *Isa.* 29.

tent te nudum, & ignominia plenum,
& revélabitur ignominia fornicationum
tuarum, scelus tuum (a). Ego sepiam
viam tuam spinis (b). Ego ego ca-
piam, & vadam, tollam, & non est
qui eruat (c). *Latrones fibulant*. Sibi
laverunt, & fremuerunt dentibus suis (e).

S C E N A VI.

Jerichunitinus, & Latrones.

Latro II.

Onvenite, properate, con-
currite, concurrите un-
dique ad victimam, victimam grandem
super montes Israel immolabo vobis (f).

Jerichunit. O Domine libera animam
meam (g) : libera me de sanguinibus
Deus, Deus salutis meæ (h). Vadam,
& revertar ad virum meum priorem,
quia melius erat mihi tunc magis quam
nunc (i). Agam penitentiam in favil-
la (k), in cilicio, & cinere.

Latro I. Tu profane & impie dux
Israel, cujus venit dies in tempore ini-
quitatis præfinita (l), impie morte
morieris (m).

Jerich.

[a] Ezech. 23. [b] Ose. 2. [c] Ose. 5.
(d) Thren. 2. [e] Eze. 39. [f] Psal. 114.
[g] Psal. 50. [h] Oj. 2. [i] Job 42.
[k] Eze. 21. [l] Eze. 33.

Jerichunit. Væ mihi, quia defecit ani-
ma (a).

Latro II. Sit casus tuus insanabilis
in mortem (b).

Jerichunit. Sanguinem innocentem con-
demnabis? (c)

Latro III. Tu quasi innocens relin-
queris? non eris innocens (d).

Jerichunit. Ecce clamaho, vim fa-
ciens.

Latro II. Nemo audiet.

Jerichunit. Vociferabor.

Latro II. Non est, qui judicet (e).

Latro I. Spoliabitur prioribus vesti-
mentis. & in interitu suo corruet (f).
Fortitudo & decus, byssus & purpura
indumentum ejus (g). Accelera spolia
detrahere, festina prædati.

Latro II. Venite ergo (h), exinaniz-
te usque ad fundatum (i). *Latro-*
nus invadunt eum.

Jerichunit. Nunquid ad sumenda spo-
lia tu venis? ecce ad diripiendam præ-
dam congregasti multitudinem tuam,
ut tollas argentum & aurum (k).

Latro I. Tollite vestimentum ejus,
(l), vestem sanctam (m), ornamentum
gratia

(a) Ier. 4. (b) Eccli 8. (c) Psal. 93.

[d] Eze. 4. (e) Job 19. (f) Prov. 28.
(g) Prov. 31. (h) Sap. 2. [i] Psal. 138.
(k) Eze. 3. [l] Prov. 27. [m] Exo. 19.

144 Punctum I. Scena VI.

gratiae (a) in quo complacuit anima
meæ (b), ornamenta calceamentorum
(c), & stolam suam, & annulum (d).

Latrones vestibus Jerichuntinum spoliat.

Latro II. ad *Latr. I.* Tolle tibi spo-
lia ejus (e), aufer cydarim, tolle coro-
nam (f).

Latro III. Nonne hæc est, quæ hu-
miliem sublevavit, & sublimem humili-
avit; (g)

Jerichunt. Hostis & inimicus noster
(h) semitam meam circumsepsit, spo-
liavit me gloria mea, & abstulit coro-
nam de capite meo, destruxit me, un-
dique pereo (i).

Latro I. Ecce ego adducam super te
gladium, & interficiam te (k).

Jerichunt. Parce Domine, parce (l).
Mitte gladium tuum in vaginam (m).

Latro II. Nunquid vivet? non vi-
vet, morte morietur, sanguis ejus in
ipso erit (n).

Latro III. Sanguis ipsius super caput
ejus (o).

Jerichunt. Usquequo non parcis mi-
hi

(a) Ecclesiastes 32. (b) Matth. 12. (c) Isa. 3.

(d) Mach. 6. (e) 2. Reg. 2. (f) Eze. 21.

(g) ibid. (h) Esth. 7. (i) Job. 19.

(k) Eze. 29. (l) Joel. 2. (m) Isa. 18.

(n) Eze. 33. (o) Job. 7. (p) Ps. 102

Punctum I. Scena VI. 145

hi (a) in misericordia & miseratione?
(b).

Latr. II. Obliviscatur ejus miseri-
cordia, conteratur quasi lignum infru-
ctuosum, maledicta sit pars ejus in ter-
ra (r).

Latro III. Mucro, mucro, evagina
te ad occidendum (d), ut superinduce-
tem indignationem meam, & vindicta
ulciscerer (e).

Jerichunt. O mucro Domini usque-
quo non quiesces? ingredere in vagi-
nam (f).

Latro I. Percutite, non parcat ocu-
lus vester, neque misereamini, interfici-
cite usque ad intermissionem (g).

Jerichuntinus a latronibus confossus.
Heu, heu, heu, vœ mihi! Ecce perve-
nit gladius usque ad animam (h).

Reflexio animi in Punctum I.

TU fortassis es ille homo, quem
animarum nostrarum prædo & ty-
rannus vel a Jerusalem in Jericho de-
scendentem, vel alibi uspiam inermem
& imparatum natus usque adeo vul-
neravit (i). Vulnerare autem hostis di-
citur, quia quod nobis male suggerit,

G nos

(a) Job 7. (b) Psal. 102. (c) Job 24.

(d) Ez. 21. [e] Jer. 24. [f] Jerem. 47.

[g] Eze. 9. [h] Jer. 4. (i) Greg. Naz. Ques. 16.

nos sequentes ex propria voluntate implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus (*a*). Diabolus nunc agnum, nunc lupum, nunc lucem, nunc tenebras ostendit, & singulis quibuslibet qualitatibus, locis, & temporibus variis exhibit tentationes (*b*). Quis enim vel cogitare, non dicam, verum numerare valeat dolos, & insidias hujus hostis antiqui? (*c*) Resistite diabolo, & fugiet a vobis (*d*): si enim eis suggestionibus assensus praestetur, quasi leo tolerari nequam potest, si autem ei resistitur, quasi formica atteritur (*e*). Diabolus latrare potest, mordere autem non potest nisi volentem (*f*). Videte fratres, quam debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentem (*g*). Est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, adversus Mundi rectores tenebrarum: induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. Accipite armaturam Dei, state succinti lumbos vestros, in veritate, & indui loricam justitiae gladium salutis assumite, & gladium spiritus: sumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere (*h*).

PUN-

(*a*) Greg. M. Moral. I. 16.c.6. (*b*) August. Sel. c. 17.(*c*) Cesarius ser. de Vir. (*d*) Iac. 4. (*e*) Gregor. I. c.(*f*) August. serm. 247. (*g*) Bernard. serm. 3.(*h*) Ephes. 6.

PUNCTUM II.

SCENA 2. I.

Jerichuntinus infirmus.

In felix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*a*) Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis (*b*). Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia, expandit rete pedibus meis (*c*). ursus insidians factus est mihi, quasi leo in absconditis (*d*): convertit me terrorum, posuit me desolatum, tota die maerore confectum (*e*). Inimici mei animam meam circumdederunt (*f*), quasi avei ceperunt me (*g*), per linguæ blandimenta (*h*), dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me acero (*i*): aperuerunt super me os suum, sibilaverunt & fremerunt dentibus, dixerunt devorabimus (*k*). Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, si-

G 2 CUC

(*a*) Rom. 7. (*b*) Psalm. 21. (*c*) Thren. 1.(*d*) Thren. 3. (*e*) Thren. 5. (*f*) Psalm. 16.(*g*) Thren. 2. (*h*) Proph. 28. (*i*) Psalm. 63.(*k*) Thren. 2. [*l*] Psalm. 21.

cut leo rapiens & rugiens (*a*): quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, ad avare secessanda lucra (*b*). Væ misero mihi! Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumdederunt, & laquei mortis (*c*).

SCENA II.

Sacerdos, Levites, & Jerichuntinus.

Sacerdos.

Quis est iste? (*d*)

Jerichunt. Audite, obsecro, universi populi, & videte dolorem meum (*e*)

Levites. Quis es tu? (*f*)

Jerichunt. Homo peccator sum (*g*).

Sacerdos. Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptore, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus: jejuno bis in sabbato, decimas de omnium, quæ possideo (*h*)

Jerichunt. Inclina Domine aurem tuam, & audi, aperi Domine oculos, & vi-

[*a*] *Psal. 21.* [*b*] *Ezech. 22.* [*c*] *Psal. 17.*
[*d*] *Isa. 63.* [*e*] *Threm. 1.* [*f*] *z. Reg. 1.*
[*g*] *Iac. 5.* [*h*] *Luc. 18.*

& vide (*a*). Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde, Magister bone (*b*).

Levites. Quid me dicas bonum? nemino bonus, nisi solus Deus (*c*).

Jerichunt. Convertere Domine, & eripe animam meam, respice in me, quia unicus & pauper sum ego (*d*).

Sacerdos. Redimet te Deus de manu inimicorum tuorum (*e*).

SCENA III.

Jerichuntinus.

Né discessetis a me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est, qui adjuvet (*f*). Ecce non est auxilium mihi (*g*): longe factus est a me consolator (*h*), sustinui, qui simul mecum contristatur, & non fuit, qui consolaretur, & non inveni (*i*). Omnes transcurrentes per viam plauerunt super me manibus, sibilaverunt & moverunt caput suum super filium Jerusalem (*k*). Factus est etiam Dominus velut inimicus, & precipitavit Israel (*l*). Veruntamen justa loquar ad te Domine (*m*), erravi si-

G 3. cut

(*a*) *Isai. 37.* (*b*) *Iudic. 4.* (*c*) *Luc. 18.*

(*d*) *Psal. 24.* (*e*) *Mich. 3.* (*f*) *Psal. 21.*

(*g*) *Job 6.* (*h*) *Threm. 1.* [*i*] *Psal. 63.*

(*k*) *Threm. 3.* (*l*) *Threm. 2.* [*m*] *Ier. 12..*

cum ovis, quæ perii, erravi: justus es
Domine, & rectum judicium tuum (*a*),
justus es in omnibus, quæ fecisti mihi
propter peccata mea, peccavi enim &
inique egi, recedens a te deliqui in
omnibus: præcepta tua non audivi,
nec observavi (*b*), os tuum ad iracun-
diam provocavi (*c*); omnia ergo, quæ
induxisti super me, in vero judicio fe-
cisti, & tradidisti in manus inimico-
rum peccatorum (*d*). Vide Domine &
considera, quem ita vindemiaveris (*e*),
vide Domine afflictionem meam, vide
& considera, quoniam factus sum vi-
lis (*f*). Recordare Domine, quid ac-
ciderit nobis, intuere & respice oppro-
brium nostrum (*g*): recordare pauper-
tatis, & transgressionis meæ, absynthii
& fellis (*h*). Vide Domine quoniam
tribulor, subversum est cor meum in
memetipso, quoniam ataritudine ple-
nus sum, foris interficit gladius, &
domi mors similis est: vide Domine,
& considera (*i*).

SCE-

[a] Psalm. 118. [b] Dan. 3. [c] Thren. 1.
[d] Dan. 4. [e] Thren. 3. [f] Thren. 1.
[g] Or. Ier. [h] Thren. 3. [i] Thren. 1.

S C E N A IV.

Jerichuntinus, Samaritanus, &
Pandochius.

Samaritanus. Quid tu hic, aut qua-
si quis hic? (*a*)

Jerichunt. Ego ille quondam opulen-
tus repente contritus sum (*b*).

Samarit. Quis te hoc adduxit? quid
hic agis? (*c*)

Jerichunt. Percussimus: fædus cum
morte, & cum inferno fecimus pactum.

Samarit. Delebitur fædus cum mor-
te, & pactum cum inferno non sta-
bit (*d*).

Jerichunt. Factus est dolor meus per-
petuus, & plaga mea desperabilis re-
nuit curari (*e*); quæ est enim fortitu-
do mea, ut sustineam? nec fortitude
lapidum fortitudo mea, nec caro mea
ænea est (*f*).

Samarit. Habebis spem in novissimo,
& præstolatio tua non auferetur (*g*).

Pandochius. Ecce Salvator tuus (*h*).

Samarit. Noli timere, quia ego te-

G 4 cum.

[a] Isa. 22. [b] Job 5. [c] Iudic. 18.
[d] Isa. 28. [e] Ierem. 15. [f] Job. 6.
[g] Prov. 23. [h] Isa. 22.

152 Punctum II. Scena IV.

tum sum, ego Dominus salvator tuus (a). Montes commovebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te (b). Non obvifcar tui, ecce in manibus meis descripti te (c).

Jerichunt. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor (d).

Samarit. Quid vis ut faciam tibi? (e) visne sanus fieri.

Jerichunt. Hominem non habeo (f).

Samarit. Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat (g). Credo Deo, & recuperabit te (h).

Jerichunt. Domine, si vis, potes me mundare (i).

Samarit. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Jerichunt. Credo Domine, sed adjuva incredulitatem meam (k). Veni Domine, dic animæ meæ: salus tua ego sum (l).

Samarit. Ecce ego venio cito, & merces mea mecum est (m): non ego autem, sed gratia Dei mecum (n).

Jerichunt. Sana me Domine, & sanabor, salvum mefac, & salvus ero (o): tantum.

(a) Isa. 3. (b) Isa. 54. (c) Isa. 49.
(d) Psalm. 9. (e) Lue. 18. (f) Ioan. 15.
(g) Isa. 59. (h) Ecclesi. 2. (i) Mar. 9.
(k) ibid. (l) Psalm. 34. [m] Apoc. 22.
[n] 1. Cor. 15. [o] Ier. 17.

Punctum II. Scena IV. 153

tantum dic verbo, & sanabitur anima mea (a).

Samarit. Convertere ad me: nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare non est obducta cicatrix populi mei? (b) Vulnus, livor, & plaga tuimenis non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo (c). Obducam cicatricem tibi, & a vulneribus tuis sanabo te (d). Infuso vino, & oleo curat & ligat vulnera.

Pandochius. Bona res est, quam vis facere (e). detectis vulneribus naufragium capit. Homo putredo, & filius hominis vermis (f). Quis potest facere mundum de immundo conceptum? semine nonne tu, qui solus es? (g) immunditia execrabilis! (h)

Samarit. Nihil horum vereor, nec facio animam meam preciosiorem quam me [i]. Quid est autem, quod in terra inimicorum es? in veterasti in terra aliena, coquinatus es cum mortuis, depuratus es cum descendantibus in infernum [k].

G 51 Jeri-

(a) Luc. 6. (b) Ier. 8. (c) Isa. 5.
(d) Isa. 30. (e) Deut. 1. (f) Job. 15.
(g) Job. 14. (h) Ezech. 24. (i) Ad. 2.
(k) Bar. 3.

Jerichunt. Dereliqui fontem sapientiae (a), & incidi in latrones, [b] qui foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia osia mea, divisorunt sibi vestimenta, & super vestem meam miserunt sortem (c).

Samarit. Nunquid servus est Israel, aut vernaculaus? quare ergo darus est in prædam? [d]

Pandochius. Filii Sion incliti & amicti auro primo, candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. [e] dati sunt in prædam [f]: erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt [g].

Samarit. Populum meum exactores sui spoliarunt [h]: nudaverunt eum tunica talari & polymita [i]: inimici ejus locupletati sunt [k], & acciperunt spelia [l].

Pandoch. Pro eo, quod fecerint Palestini vindictam, interficientes & implentes inimicitiam veterem, propterea ecce & ego extendam manum meam super Palestinos, & interficiam interfatores (m).

Sama-

(a) Bar. 3. (b) Luc. 10. [c] Psalm. 21.
(d) Ierem. 2. (e) Thren. 4. [f] Iudit. 5.
[g] Psalm. 106. [h] Isa. 3. (i) Gen. 37.
[k] Thren. 1. [l] Mact. 17. [m] Ezech. 25.

Samarit. Mea est ultio, & ego retraham in tempore (a), mihi vindicta dicit Dominus: (b). Expergiscimini, qui habitatis in pulvere (c): confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate [d]. Ego feram, ego portabo, ego salvabo (e). *Samaritanus Jerichuntinum infirmum suis humeris impositum in domum Pandochii transfert.*

Pandochius. Benedictus, qui misertus est tui (f). ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit (g): vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit (h).

REFLEXIO ANIMI IN-

PUNCTUM II.

Homo, qui descendit in Jericho, est Adam, Jerusalem Paradisus, Jericho Mundus, Latrones contrariae Fortitudines: per Sacerdotem intelligitur Lex, per Levitam Prophetæ, per Samaritanum Christus, per Pandochium Ecclesia (i). Totum genus humanum

G. 6 est

(a) Deuter. 32. (b) Rom. 12. (c) Isa. 6.
(d) Isa. 35. (e) Isa. 46. (f) Ruth. 1.
(g) Matth. 8. (h) Isa. 53. [i] Origenes, n. cap. 10. *Lata homil. 34.*

est ille homo, qui jacebat in via semi-vivus, a latronibus relictus, quem contempsit transiens Sacerdos & Levites, & accessit ad eum curandum transiens Samaritanus, in quo se voluit intelligi Dominus noster Jesus Christus. (a). Christus Samaritanus descendit de Cœlo, videns semivivum, quem nemo poterat ante curare, factus passionis nostræ compassione finitus, contigit vulnera austriore præcepto, foveret remissione peccati [b]. Sanabuntur etiam omnes languores tui, tantum tu curari te sine, manus ejus ne repellas, novit quid agar Medicus: non tantum deleteris cum foveret, sed etiam toleres, cum fecar. Tolera medicinalem dolem, futuram cogita sanitatem. Ferro ergo manus ejus o anima, quæ benedicis eum, non obliviscens omnes retributions ejus, sanat enim omnes languores tuos. (c).

PUN-

(a) August. de V. D. serm. 37. (b) Ambro. in ep. 10. Lusc. (c) August. in Psalm. 102.

PUNCTUM III.

SCENA I.

Samaritanus.

Hæc dicit Dominus Deus Jerusalæm: aqua non es lota in salutem, nec sale salita: non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui: sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ. Transiens autem ego vidi te conculcari in sanguine tuo; & dixi tibi: vive, dixi inquam tibi, in sanguine tuo vive. Eras nuda & confusione plena, transivi, & vidi te, & ecce tempus tuum tempus amantium & expandi amictum meum super te, & operui igitominiam tuam: juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi: (a). Nunc ergo ecce consurge, consurge, induere fortitudine tua: Sion exurge Jerusalem (b)).

G 7 SCE:

(a) Ezech. 16. (b) Isa. 54.

SCENA II.

Samaritanus, & Pandochius.

Samaritanus. Euge serve bone & fidelis (a). Audite legem meam, inclinate aurem in verba oris mei. Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagiis impositis abierunt semi-vivo relicto (b), secundum quod ipse met vidisti (c) virum dolorum, despectum, quasi leprosum. & scientem infirmitatem (d). A planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas (e). Ego misericordia motus, & tactus dolore cordis intrinsecus [f] appropians, alligavi vulnera ejus, infundens oleum & vinum, & imponens in jumentum duxi in stabulum, & curam illius egis [g]: conturbata sunt viscera mea super sum [h], ego veniam, & cutabo (i), miserens miserebor. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non sic existimat [k]: non credet, quod reverti possit

Punctum III. Scena II. 159
possit de tenebris ad lucem (a). Nunc igitur ecce duos denarios dedi tibi, ac curam illius habe, & quocunque supererogaveris, ego reddam tibi (b).

Pandochius. Sicut iussisti Domine mi servo ruo, sic faciam (c).

Samarit. Quod egressum est de labiis suis, observabis & facies, sicut promisisti (d).

SCENA III.

Samaritanus, Jerichunitinus, & Pandochius.

Pandochius. Ecce, quem amas, infirmatur (e).

Samaritanus. Quis infirmatur ex vobis, & ego non infirmor: quis scandalizatur, & ego non uror? (f) infirmitas tamen haec non est ad mortem (g): ad infirmum: Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormirent palpebrae tuæ.

Pandoch. Usquequo miser dormies, quando consurges? [h].

Samaritanus Jerichunitum excusat. Surge, qui dormis, & exurge a mortuis. (i).

Jeri-

(a) Matth. 25. (b) Luc. 10. (c) Dan. 2.
(d) Isa. 53. (e) Isa. 1. (f) Gen. 6.
(g) Luc. 10. (h) Ap. 38. (i) Mat. 8.
(k) Isa. 10.

(a) Job. 5. (b) Luc. 10. (c) 2. Reg. 2.
(d) Deut. 23. (e) Isa. 11. (f) 2. Cor. 11.
(g) Job. 12. (h) Prov. 6. (i) Eph. 6.

160. *Ptimēnum III. Scena III.*

Jerichuntinus. Evigilavi, quasi qui colligit acinos post vendemiatores. (a).

Pandoch. Ecce homo, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam. (b), sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. (c).

Jerichuntinus. Video homines velut arbores ambulantes [d].

Samarit. Infanisti? usquequo loquens talia? (e) more infantum insensatorum? [f].

Jerichunt. Cogitationes meæ dissipatae sunt, torquentes cor meum (g).

Pandoch. Daemonium habet, & infanit. (h)..

Jerichunt. Non infanio: cor meum dereliquit me. O Domine libera animam meam [i].

Samarit. Spiritus Domini super me, ut mederer contritis corde, ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris [k].

Pandoch. Noli negligere gratiam quæ data est tibi (l); apparuit enim gratia Salvatoris, qui restituet te in gradum pristinum [m].

Jeri.

[a] Dan. 4. [b] Psal. 102. [c] Mat. 4. [d] Mar. 8.
[e] Iob 8. [f] Sap. 12. [g] Ps. 39. [h] Iob. 10.
[i] Ps. 39. [k] I/4, 6. [l] I. Tim. 4. [m] Eccl. 12.

161. *Pundum III. Scena IH.*

Jerichunt. Miserere mei fili David [a]: miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea (b).

Samarit. Patientiam habe, patientia necessaria est. (c); nam virtus in infirmitate perficitur (d)..

Jerichunt. Defecit anima mea in salutare tuum, defecerunt oculi mei in eloquium tuum, quando consolaberis me (e).

Samarit. Noli esse pusillanimis in animo tuo (f), auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur [g]. Nunquid non ipse ego pater tuus? (h)

Jerichunt. Domine non sum dignus vocati filius tuus (i)..

Pandoch. Nea confundaris confiteri peccata tua [k], omnem languorem, & omnem infirmitatem [l].

Jerichunt. Angustiae sunt mihi undique (m). Quam horrendum est jacdere in manus Dei viventis! (n)

Samarit. Da gloriam Domino Deo Israel, confitere, atque indica mihi neabscondas (o) gravissima vulnera tua.

Jeri.

[a] Mar. 15. [b] Psal. 6. [c] Hebr. 10.
[d] 2. Cor. 12. [e] Psal. 118. [f] Eccl. 7.
[g] Isa. 6. (h) Dent. 32. (i) Luc. 15.
[k] Eccl. 4. (l) Mth. 9. [m] Dan. 13.
(n) Hebr. 10. (o) Ios. 7.

Jerichunt. Ex omni parte me angustiae premunt [a]. O beati, quorum tecta sunt peccata [b].

Samarit. Dominus, illuminabit abscondita tenebrarum [c].

Jerichunt. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita [d]. Deus meus, confundor & erubescor levare faciem meam a te, quoniam iniuitates nostrae super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usque ad Cœlum [e]. Multiplicatæ sunt iniuitates meæ, Domine, multiplicatæ sunt, & non sum dignus intueri altitudinem Cœli præ multitudine iniuitatum mearum [f].

Pandoch. Qui comparabo te, vel cui assimilabo te, fili Jerusaleni, cui exequabo te, fili Sion? magna est velut mare contritio tua [g].

Jerichunt. Putruernut & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientia meæ, afflictus sum & humiliatus sum nimis [h].

Samarit. Quomodo mutatus est cor optimus? denigrata est super carbones facies, & adhæsit cutis ossibus [i].

Jeri-

(a) 1. *Par.* 21. (b) *Psal.* 31. (c) 1. *Cor.* 4. [d] *Psal.* 68. [e] *Ecccl.* 9. [f] *Or. Man.* (g) *Thren.* 2. (h) *Psal.* 37. [i] *Thren.* 4.

Jericbunt. Aveite faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniuitates meas dele [a].

Samarit. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniuitates tuas [b].

Jerichunt. Cor mundum crea in me Deus. [c].

Samarit. Confide fili, mundabo cor tuum [d]. Aqua, quam dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam [e]. *Infirmum aqua mundat,* & maculas abstergit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Cœlorum [f].

Jerichunt. Hauriemus aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris [g]. At si lotus fuero quasi aquæ nivis, & fulserint quasi mundissimæ manus meæ, abominabuntur me vestimenta meæ [h]. Operuit confusio faciem meam [i], tota die verecundia mea contra me est [k].

Samarit. Purpura indueris, & torquem auream habebis in collo [l], ornamento circumdaberis quasi sponsa [m].

Jerichunt. Domine, dic ut sedeam in regno Patrii tui.

Samarit. Potesne bibere calicem quem ego bibiturus sum?

Jeri-

(a) *Psal.* 50. (b) *Isa.* 43. (c) *Psal.* 50. (d) *Ezech.* 16. (e) *Ierem.* 4. (f) *Ioam.* 3. (g) *Isa.* 12. (h) *Iob.* 9. (i) *Psal.* 60. (k) *Psal.* 13. [l] *Dan.* 5. [m] *Job.* 42.

Jerichunt. Possum.

Samaritanus porrigens poculum. Bibe
vinum, quod miscui tibi (*a*): cum
suavitate bipes illud (*b*), & sanitas tua
citus orietur (*c*).

Jerichunt. Botrus Cypri dilectus meus
mihi (*d*).

Samarit. Calix meus inebrians quam
præclarus est! (*e*).

Jerich. Quam magna multitudo du-
cedinis tuæ Domine! (*f*)

Samaritanus infirmum ungens olen.
Oleo sancto meo unxi te (*g*).

Jerichunt. Trahe me post te, curre-
mus in odorem unguentorum tuorum
(*h*).

Samarit. Ecce sanavi te: surge, tol-
le grabatum tuum, & ambula (*i*).
Ambula coram me, & esto perfectus
(*k*) ad Pandochium. Cito proferte sto-
lam primam, induite illum, & date
annulum in manum, & calceamenta
in pedes ejus (*l*): debet indui vestibus
regiis, & accipere regium diadema su-
per caput suum (*m*) ad Jerichuntinum.
Circumda tibi decorem, & in sublime
erigere, esto gloriosus, & speciosis in-
duere.

(*a*) Prov. 9.
(*b*) Ecdi 9.
(*c*) Isa. 58.
(*d*) Cant. 1.
(*e*) Psal. 24.
(*f*) Psal. 30.
(*g*) Psal. 88.
(*h*) Cant. 1.
(*i*) Ioan. 5.
(*k*) Gen. 15.
(*l*) Lm. 15.
(*m*) EPh. 6.

duere vestibus (*a*). Confurge, confur-
ge, induere fortitudine tua Sion, in-
duere vestimentis gloriæ tuæ, induere
vestibus his (*b*).

S C E N A IV.

Samaritanus solusi-

Hoc dicit Dominus exercituum Deus
Israël (*c*). Popule meus, iram
quidem Domini merebaris (*d*), servire
me fecisti in peccatis tuis, præbuisti
mihi laborem in iniquitatibus tuis (*e*);
sed pepercit tibi oculus meus (*f*). La-
vi te aqua, emundavi sanguinem tuum,
& unxi te oleo (*g*). Delevi ut nubem
iniquitates tuas, & quasi nebulam pec-
cata tua (*h*). Redemi te, & vocavi te
nomine tuo, meus es tu (*i*). Redemi
te de manu inimicorum tuorum (*k*).
Honorabilis factus es in oculis meis,
& gloriosus, ego dilexi te (*l*), in
charitate perpetua dilexi te (*m*).

S C E

(*a*) Job 40.
(*b*) Isa. 52.
(*c*) Ier. 2.
(*d*) 2. Par. 19.
(*e*) Isa. 43.
(*f*) 2. Re. 24.
(*g*) Eze. 16.
(*h*) Isa. 44.
(*i*) 1. Reg. 14.
(*k*) I. 4.
(*l*) I. 3.
(*m*) Ier. 31.

S C E N A V.

*Samaritanus, & Jerichuntinus.**Jerichunt.*

O Uam magna misericordia Domini, & propitatio illius convertentibus ad se! (a) Justitia induit sum, & vestivi me in cut vestimento & diademate (b). Gardens gaudebo in Domino, quia indui me vestimento salutis, & indument justitiae circumdedit me, quasi sponsus decoratum corona, & quasi sponsa ornatam monilibus suis (c). Diligante Domine fortitudinem meam, Dominus firmamentum & refugium meum, & liberator meus (d). Dominator Domine Deus, misericors & clemens, qui auferas iniquitatem (e), non recedam ab innocentia mea (f), donec superest halitus in me (g).

Samarit. Quid ultra tibi facere debui, & non feci? (h) Vestivi te discoloribus, & calceavi te janthino, cinxii te bysso, & indui te subtilibus, ornavi te ornamento, dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum: ornatus es auro & argento, vestitus,

(a) Eccli 17. (b) Job 29. [c] Isa. 61.
(d) Psal. 17. [e] Exod. 34. [f] Job 9.
[g] Job 21. [h] I. 5. [i] Eze. 16.

stitus es bysso & polymito, decorus factus es vehementer nimis (a).

Jerichunt. Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? (a) Confitabor tibi, Domine Rex, & collaudabo te salvatorem meum, quoniam adjutor & protector factus es mihi, liberasti corpus meum a perditione, liberasti me de portis tribulationum, quae circumdederunt me: vita mea approquinquans erat in inferno deorum, circumdederunt me: undique, respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat, qui adjuvaret. Invocavi dominum patrem Domini mei, & eripuisti me de tempore iniquo. propterea confitebor, & laudem dicam tibi, benedicam nominis Domini (b).

Samarit. Ecce sanus factus es, vade, & iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (c).

Refle-

(a) Psal. 115. (b) Eccli [c] Iean. 5.

Reflexio animi in Punctum III.

A Grotat humanum genus non morbis corporis, sed peccatis (a). Multas infirmitates haber anima nostra, quot peccata, tot infirmitates (b). Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est (c). Vulnera peccatorum, quæ infirmus detegat, nemo curare potest, nisi medicus ille, qui est omnipotens, succurrat, qui sicut medetur sine precio, ita salutem restituit verbo (d): qui est verbum Dei, ægris suis non herbarum succis, sed verborum sacramentis medicinam conquirit (e). Quisquis ergo es Christiane, ama Christum, qui te a prædonibus liberavit, dilige Dominum, qui te prostratum erexit, dilige Dominum, qui te in Ecclesiæ stabulum invexit, qui te rectori stabulario commendavit, qui duos denarios, hoc est Legem & Evangelium, in eruditionem tuam erogari præcepit (f).

Pro-

(a) August. de V. D. (b) Hieron. in ps. 62.
(c) Ambr. l. 4. in c. 3. Luc. (d) Greg. in c. 10. Luc.
(e) Orig. hom. 1. in Lev. (f) Chrysost. in Luc.

Punctum III. Scena V. 169
Propositus, ut vocant, practicum,
fructus, & colloquium.

Angelus, & Proteus.

Angel. **H**æc in proverbiis locutus sum vobis, venit hora, cum jam non in proverbiis loquar, sed palam (a). Hæc dicit Dominus Deus, sufficient vobis omnia scelera vestra, domus Israël (b). Nolite fratres, nolite facere malum (c), nolite peccare amplius (d), nolite rebelles esse contra Dominum (e). Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis (f). Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo, decies tantum iteruna convertentes requiretis eum (g): sicut exhibuistis membra vestra servire iniustitiæ ad iniuriam, ita nunc exhibatis servire justitiam in sanctificationem (h).

Prot. Quid ergo dicemus ad hæc?
(i) Sicut portavimus imaginem Adæ terreni, ita portemus & cœlestis (k): abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis (l): ambulemus in

no-

(a) Ezecl. 44. (b) Iudic. 29. (c) Epis. 4:
(d) Num. 14. (e) Eph. 4. (f) Bar. 4:
(g) Rom. 6. (h) Rom. 8. (i) 1. Cor. 15:
(k) Rom. 13. (l) Rom. 6:

novitate vitæ (a), induamur Domi-
num Jesum Christum (b). Ego autem
ad Dominum aspiciam, audierim: Deus
meus, consurgam, cum sedero in tene-
bris: Dominus lux mea (c), Dominus
illuminatione & salus mea (d), Do-
minus meus & Deus meus (e). Quid
mihi est in Cœlo, & a te quid volui
super terram? (f)

Affectus, & Colloquium.

Deus cordis mei, & pars mea Deus
in æternum! (g) Quis ergo nos
separabit a charitate Christi? tribulatio,
an angustia, an famæ, an nuditas, an
periculum, an persecutio, an gladius:
Certus sum, quia neque mors, neque
vita, neque instantia, neque futura, ne-
que altitudo, neque profundum, neque
creatura aliqua poterit nos separare a
charitate Dei, quæ est in Christo Je-
su Domino nostro (h).

Angel. Confirmata hoc Deus, quod
operatus es in nobis (i).

Pron. Paratum cor meum, Deus,
paratum cor meum (k). Fiat, fiat.

Allego Terredi Ora.

[a] Rom. 5. [b] Rom. 13. [c] Mich. 7.
[d] Psalm. 26. [e] Ioan. 20. [f] Ps. 72.
[g] ibidem (h) Roman. 8. (i) Psalm. 67.
[k] Psalm. 56.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

Avendo veduto per la Fede di Re-
visione, ed Approbazione del P.
Fra Paolo Tommaso Manuelli Inquisitor
General del Santo Officio di Venezia
nel Libro intitolato *Sacre Meditationes*
quas per plures Tragedias nunc in pu-
blicam lucem dedit Josephus Reschius MS.
non v'esser cos' alcuna contro la Santa
Fede Cattolica, e parimente per Attesta-
to del Segretario Nostro; niente contro
Principi, e buoni costumi, concediamo
Licenza a *Lorenzo Baseglio Stampator*
di Venezia che possi esser stampato,
osservando gli ordini in materia di Stam-
pe, e presentando le solite copie alle
Pubbliche Librarie di Venezia, e di
Padoa.

Dat. li 23. Marzo 1731.

(f. Alvise Mocenigo Cav. Proc. Ref.
(Zuane Querini Proc. Ref.

(Registrato in Libro a Carte z. al
Num. 23.

Michiel Angelo Marino Segn.